Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36490
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

fines seculorum deuenerunt. uideamus ne maiori ex parte de nobis 5
hec quam de illis uideantur dicta. Et uis uidere quia non pro me sed per
apostolum de nobis ista esse exponuntur. Audi ipse quid dicat. In helya
autem quid dicit scriptura. quomodo interpellat deum aduersus israhel. Domine prophetas
tuos occiderunt. altaria tua demoliti sunt. et ego relictus sum solus
et querunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum. Reli
qui mihi septem milia uirorum. qui non curuauerunt genua sua ante
baalim. Et addidit. Sic ergo inquit et in hoc tempore reliquie
secundum electionem gratie salue facte sunt. Uides ergo quia illos qui curua
uerunt genua baalim. et qui non curuauerunt in reliquiis creden
tium et in multitudine non credentium interpretatur. Et hoc osten
dit. quia illi qui in tempore saluatoris increduli extiterunt et
impii. genua curuauerunt baalim. et adorauerunt simulachra.
hi uero qui credunt et implent opera fidei. non curuauerunt genua baa
lim. Neque enim usquam refertur in historiis uel in euangeliis uel in aliis
quibuslibet scripturis. quod aliquis tempore saluatoris genua flexerit
simulachris. sed de illis utique hoc dicitur. qui peccatis suis astricti et
uelut conpediti tenebantur. Unde constat quod et nos quotienscumque
peccamus et captiui ducimur in lege peccati. genua nostra curuamus
baalim; Sed non in hoc uocati nec ad hoc credimus. ut iterum seruia
mus peccato. et iterum genua flectamus diabolo. sed ut flectamus genua
in nomine ihesu. quia in nomine ihesu omne genu flectitur. celestium ter
restrium et infernorum. et ut flectamus genua ad patrem domini nostri
ihesu christi. ex quo omnis paternitas in celo et in terra nominatur. Sed quid mihi pro
dest si genua corporis mei adorationem ueniens flectam deo. et ge
nua cordis mei flectam diabolo. Si enim non stetero firmus aduersus
astucias diaboli. flexi genua mea diabolo. Et si non constanter ste
tero aduersus iram. flexi genua mea ire. Similiter et si constanter ad
uersus libidinem non restitero. flexi libidini genua cordis mei. et
in singulis quibusque que contraria sunt deo hoc facere uidebor. nisi constanter et